SIMONIS OCKLEII

ORATIO INAUGURALIS

Habita CANTABRIGIAE

IN

SCHOLIS PUBLICIS.

SIMONIS OCKLEY

ORATIO INAUGURALIS

Habita CANTABRIGIAE

IN

SCHOLIS PUBLICIS

ORATIO INAUGURALIS

Habita CANTABRIGIAE

IN

SCHOLIS PUBLICIS,

Kalend. Februariis Anno MDCCXI.

A *SIMONE OCKLEIO*, S.T.B.
Linguae Arabicae ibidem Professore; Nec non Illustrissimo ROBERTO HARLEIO, Oxonii Comiti, Magnae Britanniae Thesaurario, à Sacris.

CANTABRIGIAE:

TYPIS ACADEMICIS,

Impensis EDMUNDI JEFFERY, Bibliopolæ Cantabr.
Prostant venales *LONDINI* apud JAC. KNAPTON, in Cœmeterio D. Pauli, MDCCXII.

ORATIO
INAUGURALIS

Habita CANTABRIGIAE

IN

SCHOLIS PUBLICIS,

Kalend. Februariis, Anno MDCCXI.

A SIMONE OCKLEIO, S.T.B.

Linguae Arabicae ibidem Professore; Nec non
Illustrissimo ROBERTO HARLEIO, Oxonii
Comiti, Magnae Britanniae Thesaurario, a Sacris.

CANTABRIGIAE:

TYPIS ACADEMICIS.

Impensis EDMUNDI JEFFERY, Bibliopolae Cantab.
Prostant venales LONDINI apud Jac. KNAPTON,
in Coemeterio D. Pauli, MDCCXI.

DIGNISSIME DOMINE,
DOMINE PROCANCELLARIE.
NOBILISSIMI JUVENES,
VENERANDA CAPITA,
PROFESSORES DOCTISSIMI,
CLARISSIMI.
VIRI ORNATISSIMI,
JUVENTUS ACADEMICA.

DE Nobiliſſima Lingua Arabica locuturum nec deficit dicendi Materies, nec deprimit, quod pleriſque Oratoribus metum incutere ſolet, ſuſpectus Audientium Candor.

A Priorem

Priorem ſupplet ipſius de qua agimus Linguae Copia, Venuſtas, Uſus. Poſteriorem tollit (Viri Reverendi Doctiſſimique) eximia veſtra erga me beneficentia, qua hominem ruri morantem & jam aliud agentem, in ipſum Academiae ſinum quaſi poſtliminio revocaſtis. Eſt autem quod utriſque noſtrum metuo. Vobis quidem, ne harum literarum, etſi non prorſus ignarum, minus tamen quam oportet peritum, in hunc locum adſciviſſe videamini: Mihi vero, ne Linguae Arabicae Excellentia fraudi ſit, utpote infra rei quam tractandam ſuſcepi Dignitatem longe caſuro. Utramque cauſam (Viri Doctiſſimi) vobis defendendam relinquo. Plus enim, cum Auctoritate, tum maxime Eruditione valetis. Id autem alias agendum erit. Nunc, quoniam

conve-

convenimus, & a frequenti hoc Literatorum concurſu a me expectari video, ut aliquid ſaltem afferam quo Linguae tantopere decantatae Eluceſcat excellentia; Paucula, qualiacunque demum fuerint, erunt dicenda. Antiquitatem quod attinet, etſi forſan cum quavis alia hodie nota poſſit Certare; de hac tamen re funem ducere non inſtitui. Non ego Ejuſdem Originem a Turri Babylonica arceſſerim; nec eandem cum Linguis Sinenſi & Ægyptiaca contenderim. Res tanta Caligine tectas non noſtra refert indagare. Valde autem Antiquam eſſe, duobus hiſce indiciis abunde proditur; Elegantia nimirum & Verborum Copia. Quarum neutrius in primo linguae Alicujus ortu vel apparet vel exſpectari poteſt Veſtigium. Nati enim ſunt homines, non loquen-

tes, ſed loquendi Capaces. Primaevorum hominum Sermonem anguſtis Cancellis arctatum fuiſſe, omnino arbitrandum eſt. Praeter pauculas voces quas a Parentibus acceperant, cum in Colonias commigrarent, rebus recenter inventis novos ſonos efformare coacti ſunt. Hinc tantum progreſſu Temporis linguarum olim earundem inter ſe diſcrimen. Elegantia autem, non niſi poſt inventas artes, idque ſero & paulatim acquiſita eſt; & a Poetis aliiſque viris eruditis exculta. Harum utraque omnes Linguas ſuperat Arabica noſtra. Neque mutationem unquam quod ſciamus paſſa eſt; nec ab illa, cum Antiquis illis, Hebraea, Chaldaea, Syra & Æthiopica, affinitate, quam ab Origine ſemper obtinuit, unquam receſſit. Metaphoris illuſtribus abundat; Graecis

&

& Latinis auribus prorſus inauditis. Nec tam ipſi vitio verti debet, quod a noſtris loquendi modis abhorreat, quam nobis dedecori eſſe; quod cum omnigenum cultum prae nobis feramus, iſtius tamen quam contemnimus Linguae Nitorem & Copiam aſſequi non poſſimus. Sed his omiſſis, vel eo nomine nobis Europaeis commendanda eſt, quod Antiquae Philoſophiae Theſauros prima reſerarit. Ejus enim beneficio acceptum referendum eſt quicquid bonarum literarum habebant Occidentales, ante Graecas Literas in Italia poſt Captam à Turcis Conſtantinopolin, renatas. Haec autem tanquam omnibus nota, miſſa facio. Sed neque Graeca lingua reſtaurata (ex qua, maxima ex parte ſua hauſerant Arabes) Abſentis Arabicae vices Explevit. Multa enim

retinet,

retinet, Ex Graecis quae adhuc ſuperſunt Exemplaribus fruſtra petenda. Exemplo ſit *Apollonius* a Clariſſimo *Halleio* ſumma (qua maxime pollet) peritia & ſagacitate Editus. Quo autem anhelitu ad eam adſpiraverit Illuſtriſſimus ille *Joſephus Scaliger* abunde teſtantur ejuſdem Epiſtolae, ad *Stephanum Uber-tum* (ni male memini) miſſae. Indignatus eſt ille Heros, totius fere Orbis Literarii Domitor, Hanc ſolam Provinciam ſibi invictam relictam eſſe. Cum autem idonea non ſuppeterent Auxilia (nondum enim id rei ferebat illud aevum) tandem deſiſtere Coactus eſt. Ipſius Veſtigia premens Optimus *Erpenius*, indefeſſo labore, hanc Linguam nobis reſtituit. Neque Romae defuere qui quoſvis ſumptus huic uſui impertire non recuſarent. Tanti, omnibus cujuſcunque

cunque gentis literatis, haec ſtudia excolere, intereſſe viſum eſt.

Adeſte itaque laeto animo Juvenes optimi, Et illuſtria Virorum magnorum exempla ſequimini. Clariſſimum *Pocockium*, omnem laudem ſupergreſſum ſemel nominaſſe ſufficit. *Giggeius*, Et ſi Linguae Arabicae minus peritus, praeſtantiſſimum illud *Alphiruzabadii* Lexicon, Vulgo *Camûs* dictum, indefeſſo labore exhauſit. *Golius Aljeuharium* faeliciter aggreſſus eſt, & quae in illo deſiderabantur ex aliis Auctoribus abunde ſupplevit. Nefas eſſet ſi *Herbelotium* praetermiſerim, Cujus *Bibliothecae* (ſic enim appellatur) *Orientali* plurima debemus.

Sed quid ego praedicandae Defunctorum

ctorum memoriae diutius immorer? "Ponite ob oculos conſummatiſſimum "*Sikium*, virum omni literarum genere "excellentem; de cujus laudibus, ſi quae "in animo habeo ſingula exequi vellem, "nec tempus Orationi ſufficeret; nec "magni viri modeſtia id pateretur. Hoc "ſaltem vel ingratiis dixerim; unum "eum eſſe, qui praecipitantem Orienta-"lium Literarum ſtatum ſufflaminare "poſſit. Poſt tanta nomina, quid ipſe fecerim memorare eſſet plane ridiculum. Tantum abeſt ut de me ita ſentiam, quaſi aliquid memoria dignum vel praeſtitiſſem, vel adhuc praeſtare poſſem; ut in his ſtudiis mediocriter verſari mihi videar. Quoties me ſtudiorum cauſa domo exulantem Cruci affixerunt mordaces curae! Quoties, Juvenes exoptatiſſimi, haec Otia quibus

ſub

ſub graviſſimorum virorum tutela, & Chariſſimorum Parentum cura degentes fruimini, Vobis invidi! Nondum tamen ſenio confectus ſum; nondum labant Oculi, necdum deficiunt Vires. Favore itaque Clariſſimorum Antiſtitum fretus, qui me in hoc honorificum munus cooptare dignati ſunt; veſtroque in haec Studia ardore quotidie accenſus; ad majora pergam; & Fortunam illam Veneficam toties mihi Novercam tandem Ulciſcar: Spartamque quam nactus ſum ſi minus ornare potuero, ſaltem non deſeram.

Non deſunt, (experto Credite) qui mala perſuaſione imbuti, & ſuae tenuitatis conſcii, omnes occaſiones aucupari ſolent, eas res quibus ipſi impares ſunt, minuendi. Quae illi loquuntur, par-

tim ex Judicii vitio, partim ex mala proficiſcuntur voluntate. De vobis meliorem ſpem concepimus, quam ut hominibus, de iis quae minus intelligunt, male loquentibus facilem aurem praebituros ſuſpicemur. Verendum tamen eſt, ne, vel his abſentibus, ipſi talia difficultatum monſtra huic ſtudiorum generi ineſſe arbitremini quae illius neglectum merito excuſare poſſint. Saepius nos terrent inſomnia quae expergefacti ridemus. Neque hoc a me ideo dictum eſt, quaſi alicui perſuaſum eſſe vellem Linguam Arabicam ſuis difficultatibus carere. Ardua ſunt quae pulchra. Res vulgares, meretricum inſtar, ſatis ſunt parabiles, & poenitenda ſuavitate deliniunt: Caſta eſt Matrona Lingua Arabica, nec niſi a ſerio rem agentibus ſe ambiri patitur, quos tandem irremuneratos

eratos nunquam dimittit. Regeretis forſan, quorſum attinet linguae aſperae & tractatu difficili, nec minus quam ipſa unde Oriunda eſt, Arabia Petraea, horridae incumbere? Quorſum ingentia inanium fabularum volumina verſare? Quorſum Nocturnis lucubrationibus ſemper impalleſcere? Quo enim in cenſu hodie ponuntur hujuſmodi literae? Vel quae noſtri ratio demum habenda erit, poſtquam his Studiis attriti & fracti conſenuimus? Gravis omnino, meo judicio, & Reſponſione digna eſt haec querela. Nondum enim in Stoicorum diſciplina tantum profecimus, ut virtuti Corollarium aliquod reſpuamus. Et, ut quod res eſt dicam, fuerunt, pigeat meminiſſe, iſtiuſmodi Tempora, in quibus, malis artibus quam bonarum literarum ſtudio faelicius ad fa-

mam graſſari potuiſſemus. Fuerunt, quando omnibus locis, vel Tympanorum Sonitus & Tubarum clangor, (belli apparatus) reſonaret, vel Civium muſſitantium querelae auditae ſunt. Nobis major (Deo gratias) ſpes affulget. Sereniſſimam enim Reginam, fracto Galliarum Tyranno, quem victricibus Armis dudum debellavit, non minus Pacis Studiis, quam Belli Triumphis florere Velle, vel hoc indicio eſt, "Quod "Illuſtriſſimum HARLEIUM, Oxonii "Comitem, Magnae Britanniae Theſaurium, Mecoenatem meum longe "honoratiſſimum ſummae rerum praepoſuerit. Virum ad omnia magna "Natum, nec minus bonarum literarum cultu, quam Pacis Bellique, & "quibuſcunque Reipublicae bene proſpici poſſit artibus merito Celebrandum.

" dum. Qui Orientales Literas non
" majore amore fovet, quam Judi-
" cio tractat. Quis non obſtupeſcat,
" cum videat virum quantumvis egre-
" gium, Reipublicae cauſa in Tem-
" poribus dubiis ſemper periclitan-
" tem, non tantum Oneri ſuo non
" ſuccumbere, Verum etiam humani-
" oribus literis invigilare? Non defuit
" Hiſpaniae Eminentiſſimus ſuus *Xi-*
" *menius* propagandis Orientalibus Stu-
" diis ſpectatus. Gratuletur ſibi Gallia
" nec immerito, de ſuis *Richeliis* &
" *Colbertis* Severiorum Literarum fau-
" toribus Egregiis. Non invidemus.
" Unus nobis ſufficit HARLEIUS, qui
" caeteros omnes antevertit. Tantum
" Patronum nacta, cui omnes Muſae,
" Orientales vero praeſertim in deliciis
" ſunt, quid non ſibi polliceri poſſit

Studioſa

" Studioſa Juventus? Aut quis reſur-
" gentium literarum proſpectu delecta-
" tus, maxime vero ſub tanti Ducis
" Auſpiciis, iis inſtaurandis, tanquam
" magnifico cuidam Templo, e Cinere
" & ruderibus reſuſcitando, manum
" admovere non geſtiret?

Nunc tandem (Viri graviſſimi, Ornatiſſimique) quid a nobis in hoc munere obeundo expectare poſſitis, reſtat explicandum. Longaevum omnino eum eſſe Oporteat, qui quae in hac parte deſiderantur debito exſequi velit. Aliquid nihilominus tentandum eſt. A Religione, utpote quae primum locum ſibi ſuo jure vendicat, ordiamur. Commemini probe, cum adhuc adoleſcens eſſem, me aegre laturum, ſi quis quicquam a Judaeo Objici poſſe exiſtimaret,

cui

cui quivis Chriſtianus mentis Compos non foret reſpondendo. Mohammedanos vero tanquam homines ficulneos deridiculo ſemper habui. Longe diverſam ab hac ſententiam produxerunt Curae magis maturae. Neque enim adeo a communi ſenſu alieni ſunt quantum vulgo cenſentur. Habent, etſi non vera, ſaltem ſpecioſa quibus ſe defendi poſſe Opinantur argumenta. Habent quoque quibus nos premunt objectiones. Si mihi fidem minus habeatis, Conſulite *Xaverium* & *Guadagnolum* viros Experimento doctos, quos Nobilis Perſa dudum fudit & profligavit. Nos quidem *Mohammedis* Nugas quotidie fugillamus, & pulchre res procedere nobis videtur, ſi cauſam quam nemo defendit affligere poſſimus. Omnino Cuivis facile eſt in vacuo Theatro ſibi plaudere:

ſed

ſed ſi cum ipſis ſermo eſſet conferendus; etſi non difficilis, cauſae enim ipſius veritate freti ſumus, non tamen tam facilis, quam arbitramur Victoria reportaretur. Pleraque enim illarum rerum quae ex Mendacium Graeculorum fabulis hauſta *Mohammedanis* objicimus, ipſi non agnoſcunt; Cujuſmodi ſunt, Spiritum Sanctum ſub Columbae Cicuris ſpecie *Mohammedis* auri advolaſſe; ejuſdem tumbam vi Magnetis in Aëre eſſe ſuſpenſam. Multaque id genus alia quae Cuivis Mohammedano non minus bilem vel riſum moverent quam Chriſtianis Primaevis movebant ab Ethnicis objecta, ſc. infanticidium & ſtuprum, quae ipſorum Sacris commiſceri contendebant. Aggrediendus itaque eſt Hoſtis qua Porta patet. Tantum abſit ut aliquid ipſis aſſuam aut affingam,

affingam, ut Mohammedem ipſum, ſui ipſius Optimum Interpretem, ſi modo fieri poſſet, adeſſe optaverim.

Refutatio autem Alcorani non ſimul & ſemel aggredienda eſt, partim quod multa in ſe difficilia, multa quoque affectata obſcuritate obvoluta in iſto libro deprehendantur; maxime vero quod ſummopere cavendum ſit, ne ipſi ejuſdem culpae, quam in aliis reprehendimus, rei agamur. Adeundi ſunt Celeberrimi Commentarii tam Perſico quam Arabico ſermone ſcripti, ex quibus multa foenerari poſſumus. Nec praetereunda ſunt ipſorum Lexica difficiliores Alcorani locos explicantia. Fruſtra eſt pariter, tam ille qui alicujus libri refutationem quam qui defenſionem ſuſcipit,

cujus ipſe ſenſum minùs habeat perſpectum. Quod qua ratione aſſequi liceat, ſine iterata ſaepius ejuſdem libri, idque in ea qua Scriptus eſt Lingua lectione, convocatis undique quaecunque ad ſenſum eruendum conferunt auxiliis, viderint illi, qui cum nihilominus Theologi haberi velint, Linguarum ſtudium utcunque inſuper habent. Hujuſmodi itaque Opus, non continuata ſerie ſed lente & pedetentim peragendum eſt. Carptim enim, &, ut ita dicam, ſpicatim legenda ſunt, quae paſſim diſſeminantur. Interea loci, non adeo ſterilem ſortiti ſumus provinciam quin abunde ſuppeditet quae non minus prodeſſe quam delectare poſſint. Juvaret nonnunquam quaedam Philoſophorum Arabum placita expendere, alias ex eorundem

dem libris Naturalem Hiſtoriam illuſtrare & augere. Nunc Geographorum Europaeorum mendas, librorum & Tabularum Orientalium ope tollere. Nunc rerum ſub Maximorum Principum Auſpiciis in Oriente geſtarum Hiſtoriam delibare: Nunc difficilem aliquem S. Scripturae locum ad examen revocare, & quanti ſit uſus Linguae Arabicae & morum Orientalium in rebus hujuſmodi explicandis peritia oſtendere. Ut ſummatim dicam, quocunque me converto, ampla meſſis eſt, non Spicilegium. Nec opus eſt unius Dieculae ſed plurium Annorum; Nec quod ab uno alterove Profeſſore abſolvi poſſe ſperandum ſit, ſed quod maximorum virorum conjunctos labores efflagitare videatur. Ne taedio ſim, multa huc facientia,

& quae Linguae Nobiliſſimae Divitias abunde oſtenderent, conſulto praetereo. Hoc unum vos monitos velim; parum eum ex Praelectionibus Noſtris profecturum, qui his Studiis non rite fuerit imbutus: omnino in alio Orbe ſibi verſari videbitur, cum de Lingua & rebus Peregrinis ſibi antehac ignotis & inauditis diſſerentem audierit. Auctor itaque ſum ut qui has literas ea quam merentur Cura ſerio proſequi vellent, vel mei, vel cujuſvis alius, maxime vero Eruditiſſimi *Sikii* lares frequentent, ut bene jactis fundamentis & Monſtris ſuperatis, ſerio tandem triumphare poſſint. Sed quo me abripit iſtius quam depereo Linguae admiratio? Aureos montes pollicitus ſum, Curtae ſupellectilis immemor. Nullum nos qui ad haec ſtudia

erigenda

erigenda quicquam conferre poſſit laborem detrectaremus; Libris tamen deſtituimur. " Vos O foeliciſſimi Ox-
" ONIENSES nobis Laborantibus tan-
" dem ſuccurrite. Quid enim non Poſ-
" ſidetis? Bibliothecam ſuam aperiat
" *Feſſanus*, *Hiſpanus Eſcurialem*, utrum-
" que ſuperabitis. Habetis *Seldeni*, Viri
" quidem Eruditi, ſed ingenito quo-
" dam livore affecti, varii Argumenti
" libros tam Arabicos quam Hebraeos
" meliori cauſae inſerviendae quam ipſe
" deſtinaverat uſui futuros. Fuit enim
" ſemper Hoſtili in Clerum animo. Me-
" rito itaque *Ecchellenſis* Flagello ſuc-
" cubuit, non ſolum quod Eccleſiae
" pacem turbare ſtuduerit, ſed quod in
" ipſa quam edidit *Eutychii* interpreta-
" tione pueriliter erraverit. Habetis

Virorum

" Virorum Eruditiſſimorum *Samuelis*
" *Clerici*, *Joannis Gravii*, *Roberti Hun-*
" *tingtoni*, *Thomae Hydii*, & (ut alios ta-
" ceam) ingentem Orientalium Libro-
" rum Theſaurum E Muſaeo *Pococki-*
" *ano*, propriis Academiae ſumptibus
" coemptum, quovis auro non redi-
" mendum. Quid verò non vobis
" praeſtitit REVERENDISSIMUS ille
" CANTUARIENSIS LAUDIUS, cu-
" jus Munificentiae nos Magna ex Parte
" Clariſſimum *Pocockium*, Vos vero
" magnificum librorum Orientalium
" apparatum, nullis vel Imperatorum
" Orientalium Bibliothecis ceſſurum
" omnino debetis? Quidni nobiſcum
" quibus carere poſſitis libri communi-
" centur? Habetis enim qui utriſque
" abunde ſufficiant. Sinite me Hoſpi-

tem

" tem veſtrum grato animo Jucundiſ-
" ſimum apud vos ſeceſſum memoran-
" tem hoc à vobis impetrare. Sin mi-
" nus, Oras veſtras vento ſecundo olim
" appellam; atque Opera mea The-
" ſauri veſtri Particeps quandoque fiet
" CANTABRIGIA Noſtra.

FINIS.

MVSEVM
BRITAN
NICVM